



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Literatur scribendi munere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

viuere, & quicquid vel agere, vel sustinere voluerint superiores: horum iudicio magis, quam meis, vel desiderijs, vel propensionibus credam. Certe dum ita sentiet Prouincialis, ad scribendum redire non cupio, & fortasse bona conscientia non debeo: vt autem in Prouinciam aliam quacunque de causa transferar, nec petui haectenus, nec petam vnquam, quod perfectam obedientiae rationem nolim à me vlllo pacto violari, aut superioribus esse molestus in hac parte. Domino fortasse visum est me iam natum annos 56. monere, vt colligam, quod aiunt, sarcinas, & ex Martha fiam Magdalena, meaq; disponam domui priusquam ex hoc sit hospitio emigrandum. Quicquid autem Paternitas Tua de tota causa decreuerit, id oraculi loco accipiam, eiusq; iudicio me ex animo parituum promitto, Dei gratia opitulante.

His literis acceptis Euerardus existimauit è re magis publica esse, vt omnis ei sollicitudo Pontificij mandati demeretur. Adit ergo Gregorium, & per occasionem, cum ei volumen de B. Virgine offerret, iniecto sermone de valetudine, deq; ætate Canisij, iamque missione bona dignum videri:
Pon-

Liberatur scribendi munere.

Pontifex accepto libenter volumine, etiam libenter vt Pater indulgentissimus vacationem dedit. Quare cognita Canisius plurimum se, & Pontifici, & Euerardo debere professus, totum se ex arbitrio Prouincialis suspendit, Christum Dominum rogans, vt collatum in indignum se beneficium ritè intelligeret, & fructum ex eo sibi, aliisque congruentem legitimè colligeret, quicquid demum sibi laboris, & oneris demandetur, nullum posthæc verbum de mutanda conditione commutaturus. Amisimus per hæc haud dubiè grauissimas de Petro disputationes, vnde omnium hæresum vno quasi ictu iugulum petebatur, Romanæ Ecclesiæ primatu constabilito. Ceterum obedientia hæc (cum quidem iam inde à principio tertiam sibi illam destinasset concertationem, & multa ad eam præclara obseruasset, excogitasset, seposuisset, & iam fama operis egressa expectationem omnium excitasset) videtur mihi monumentum, quodcumque stylo edere potuisset, admirabilius. Nec aliter iudicabunt opinor, qui norunt quam difficile sit conceptum tenere sermonem: quiq; tanto sapientia illa inferiores per obstantia omnia ad editiones nituntur, publi-

*Obedientia ex-
cellens.*